

fratres illic adunati fuissent¹⁾), rebus quidem pauperem sed tamen religiosam ducebant vitam. Tempore quodam cum ad celebrandum opus Dei pariter in oratorio convenissent, aspiciunt inter se subito duos cappis indutos, qui cum orantibus orare, cum prostratis prosterni, et cum elevatis pariter visi sunt elevari. Attoniti monachi novę visionis auspicio, abbatem advocant, adjurationibus eorum personę discutuntur qui sint vel unde, fantasma sint an veritas inquiruntur. Unus eorum rein ordine pandit: 'Ego quondam princeps regionis hujus ad agendam militiam qua pro virium ostentatione decertatur evocatus, lancea confossus occubui. Sed quia necessitate magis quam voluntate in procinctum exieram, et Deo penitentiam si evasissem devoveram, et huic ecclesię vestrę ut fundaretur non pauca subsidia contuli, salvam de penis per misericordiam Dei poteram, si studiosos ad Deum habuissem intercessores. Is autem quem presto mecum cernitis, comes erat Namensis, qui inter cetera elemosinarum opera quendam infantulum in rupe quadam expositum, cum offendisset, vagientem miseratus, nutricem sibi provideri, et diligenter educari, adultumque litteris erudiri et clericum jussit fieri. Qui nunc monachus factus ad rependendam vicem benefactori suo pro eo devotus exorat, et jam dudum Deus illum exaudisset, nisi ad impetrandum unius deprecatione minus valuisset'. Abbas iterum an hæc ita se haberent conjurationibus utitur, et accepta rerum fide, pollicetur se cum suis et ceteris omnibus quibus id potuerit notificare, per xxx. dies missis, vigiliis, psalmodia, elemosinis, pro eis Domino supplicaturum; per nomen Domini hoc illis indicens, ut post circulum xxx. dierum rursus se videndos exhibeant, et quid erga se geratur manifestent. Responsum ab his est, hoc pro signo liberationis sue haberi, si deinceps apparere desierint; sin autem, in loco quo ad presens consistunt denuo repperiri. Post colloctionis verba disparuerunt; abbas promissis operam dat, decurso xxx. dierum spacio prestolatur eventum rei; personas non invenit, de liberatione spirituum certus factus, Deo amanti animarum gratias cum suis omnibus egit. Hęc relatione cujusdam sacerdotis nomine Johannis de ipsis partibus advenientis, et ibidem nutriti et educati comperimus.

1) 1083, s. Chron. Afflig. SS. IX, 407, wo aber von dieser Geschichte keine Spur ist.